

DISPUTATIONEM  
De  
VITA IN UNIVERSUM,  
quam  
*Nobilissimus & Eximius Juvenis,*  
**GODFRIED ERNE-  
STUS MÜLLER,**

Ilmenavia Francus,  
bonis litteris & artibus  
in

**GYMNASIO ZITTAVIENSI**

adhuc operatus,  
d. XXIV Apr. Ao. cl<sup>o</sup> 1554. h. VIII. seqq.  
publice disceptabit,

**PATRONIS & FAUTORIBUS  
GYMNASI**

summe maximeque colendis  
offert & commendat,

**Godofredus Polycarpus Müller,**  
Gymn. Zitt. Direct.

---

ZITTAVIÆ,  
Litteris Johannis Christiani Stremelii.

54.

Philos.  
C.

17/4

**C**um difficillimum sit humano ingenio, sibi reliquo, servare  
in quibusvis rebus modum; in logicæ quoque artis natura  
& usu dijudicando medium haud tenuit; sed ad extrema  
conversum vel abjecte nimis sensit, vel magnifice. Sunt alii no-  
stra ætate tam avari ejus laudatores, ut omnia laudis argumenta  
corradant, eamque veri omnis inventricem & judicem habeant:  
ut hac una omnem mentis humanæ medicinam querant: eaque  
sola omnibus artibus & scientiis perfectionem & certitudinem  
mathematicam asserti posse opinentur. Sed aliis, hebetioribus  
forsitan ingenio, & ab his studiis vitae consuetudine abstractis, nil  
magni & exquisiti habere videtur: Quid potius sine logica arte  
disci cuncta & comprehendendi, scribi & tradi aliis, commode posse  
verbis & factis testentur. Ab illis subtilissima arte concinnati &  
digesti libri nostris quoque temporibus provenere, sua interdum  
nimia sollicitudine prolixia aut anxia: ab his centones sunt opini-  
onum, & in lecta sua dominantium inconcinni & amplissimi re-  
rum eruditarum commentarii. Nihil enim frequentius est ma-  
lo libro: ita ut ad plurima scripta transferri possit, quod de ma-  
lis ad populum concionibus ecclesiasticis graviter & vere pronun-  
ciavit *Dupinus*, eruditissimus Gallus, in Methodo studii theologici:  
*quoi qu' un grand nombre de personnes s' appliquent à la predication, rien n'est plus commun que les mauvais sermons.* (*Methode pour étudier la Theologie c. xxvii. p. 336.*) Est aliquod genus magnorum virorum,  
doctrinæ excellentia & novitate omnem saepè eruditum populum  
longissime superantium, cui tota lordet logica, imo sapientiæ po-  
tius & artium impedimentum, quam instrumentum, habetur.  
*Theophrasto Paracelso*, Philosophiæ & medicinæ sublimioris condi-  
tori, in *Philosophia sagaci*, & passim in scriptis, abstrahere logicam  
à veritatis & artium inquisitione homines visum fuit; prolixius  
vero & non sine omni logica arte artem hanc destruere conatus  
est *Ioh. Bapt. Helmontius* *commentatione singulari*, quæ *logica inuti-  
lis* inscribitur. (*Opp. Lat. p. m 39. sqq.*) Magna enim & profun-  
da ingenia, ad certas artes & scientias instinctu quodam naturæ  
im-

Sächsische  
Landesbibliothek  
Dresden

impulsa, aut singulari quadam gratia perculta & excitata, ubi semel unum aut alterum ex primis & præcipuis veris sagacissima & capacissima mente introspexerunt; ex hoc, tanquam ex circuli puncto medio, per universam alicujus artis aut scientiæ circumscriptam extremitatem, perque tot veritates, uno obtutu mentis aciem projiciunt: ut naturæ postmodo exploratione & sensu accedente brevi tempore multarum rerum ambitum capiant, & logicis artibus ac subtilitatibus in progressu suo non promoveantur, sed tardentur. Quod itaque sibi non conducere sentiunt: disuadent aliis, quibus tamen in alia ingeniorum conditione constitutis omnino conduceret. Nec inficiar, multos quoque magnos in variis artibus & scientiis viros, majores doctrina & scriptorum usu ac concinnitate evadere potuisse: si omnem intelligendi, disceptandi scribendique, artem non inter crepundia habuissent, aut sponte projecissent. Medium tenuere beati. Quem enim artis hujus, & intellectualis philosophiæ, usum in scriptis & cogitatis nostris & aliorum intelligendis: in digerendis, secernendis, concludendis & perficiundis rebus omnibus, quas cogitamus & meditamur: in docendo demum, scribendo & differendo, largiter & quotidie experti sumus; illum sustinemus, ei præcepta omnia attemperamus, & nostros juvenes ad easdem leges cogitandi scribendique formamus. Non solum publicæ pri-  
vataeque prælectiones logicæ & dialecticæ, ad hujus artis claram, distinctam, & ex causis suis derivatam, comprehensionem habitæ, abundant in Gymnasio nostro; sed cum his usum in legendo, scribendo, disputando, perpetuum ita jungimus, ut nulla facile cuiuscunque generis prælectio ab huius artis præceptis vacet. Habet enim logica, cum omnibus ad actionem comparatis doctrinis, eam rationem, ut partim integra debeat animo comprehendi, & consuetudine in naturam quasi abire, antequam ex se fructus pariat: partim usu & experientia ad diversas res diverso modo accommodari, antequam perfecte cognoscatur, & sui usum ipsa manifestet. Plurimum momenti in *logica applicata*, quam nonnulli dicunt, aut *logica utente*, quod barbare dicitur, aut in *vera*

& universalis methodo, ut Peripatetici fere loquuntur, aut in parte logicæ practica, qua recentiores logici sibi placuerunt, (hæc enim cuncta in eundem finem coëunt) certissime situm est: & quot quot cum omni logica hic nondum tentamina, eaque plurima, fecerunt, cum omnibus præceptis, memoria comprehensis, ne quidem elementarii hujus intellectualis philosophiæ jure poslunt haberi. Abundat in præceptis, subtilissimis læpe & solidis, Peripateticorum parens, Aristoteles: sed in usu præceptorum prudente, in qua diiudicatione diversarum natura sua rerum secundum diversas prudentiæ rationes, plus tribuo Doctori Aristotelis, Platonis. Quoties ad veteres Græcos accedens, quæ de philosophia intellectuali seu contemplativa, & τῶν κερπικῶν τῆς ψυχῆς δυνάμεων, dialecticæque elementis, Plato & ejus disciplinæ sapientes reliquerunt, cum animi intensione legi; collatis cum his scribendi de quibusvis rebus horum philosophorum rationibus intellexi, Platonem in usu logicæ sobrium magis, & pro rerum varietate diiudicandarum prudentiorem Aristotele extitisse. Merentur legi ab doctoribus logicæ applicatae placita illius philosophi, ab Aleinoo in compendium missa in Platonicam Philosophiam Introductione C. III. - VII. Pauca illa c. IV. verba: οὐκέτι οὐδὲ πτησημονικὴ λόγῳ καὶ δοξασικῇ, σοῦ δὲ καὶ νοήσεως καὶ αἰσθήσεως, εἴτε καὶ τὰ τέτοις ὑποπίπτοντα, οἷον τὰ νοητὰ καὶ αἰσθητά. κ. τ. λ. (vid. Acinoum c. I. ed. Dan. Heins. pag. 458.) tantum in recessu habent, si mentem Philosophi penitus introspexeris, quantum diversa methodus in rebus metaphysicis & physicis, imo in physica scientifica & experimentali, (liceat cum philosophis loqui) requirit & complectitur. Felicius clariusque nunquam hoc ipsum intelligitur, quam ubi animum diversis natura sua rebus vel ad artem logicam axaminandis, vel nostro marte tractandis & scribendis, adhibemus: quamobrem exercitationes logicæ varii generis, in Gymnasio nostro institutæ, non sine fructu, & ingeniorum emendatione, perpetuo celebrantur. Primum genus est legendorum ex veteribus aut recentioribus scriptorum: ita ut iucio logicæ critico subiificantur. Tota ratio in his vel maxime versatur. Eligimus scriptorem brevem, & quam fieri potest facilem,  
iuve,

juvenibus nostris non ignotum: quem lectum à loco eiusmodi  
societatis logicæ interpretamur. Caput vel pars aperta & ex-  
planata secundum singulas periodos logica arte solvitur in enun-  
tiationes, definitiones, si quæ sunt, argumenta & conclusiones.  
Singula tūb examen revocamus, ad quæ logicæ præcepta refe-  
rantur; quid in iis abundet, aut deficiat: quid reēte aut secus fa-  
ctum: quomodo possit emendari: ubique huic criticæ subiici-  
untur causæ. Hac exercitatione aliquantisper à logicæ doctore  
producta, ut iuvenes ei aduerscant, partes quædam eiusmodi scri-  
ptoris singulis audientium & discentium committuntur: in quas,  
quod in viribus est, limam suam criticam eadem ratione exerce-  
ant. Duas tantum horas per septimanam huic exercitationum  
generi tribuere constitutum est: nec religioni ducimus, modo  
hunc modo alium scriptorem tentare, ut novitatis gratiam ha-  
beat hoc studium. *Alterum genus* est formandarum operarum lo-  
gicarum, definitionum scilicet, enunciationum & axiomatum, ra-  
tiociniorum omnis generis, demonstrationum, & verisimilitudi-  
num rite conclusarum. Eas vel maxime res in exempla adisci-  
mus, quæ iuuenibus nostris alibi iam traditæ sunt, aut ex civili  
vita perspectæ. Singulis sua pensa distribuimus: incipimus à  
facillimis ad difficiliora progressi: nihil ubique tentatur, quod à  
doctore exemplo rite elaborato non sit demonstratum. Duas  
quoque sibi horas singulis hebdomadis hæc vindicat exercitatio:  
ita ut exempla logice elaborata postmodo elaborationi oratoriæ  
subiificantur, & oratoriis argumentis persuasioni, imo poëtica am-  
plificatione & circumductione imaginationi & affectui, adaptentur.  
*Tertium genus* est scribendarum habendarumque disputatio-  
num, quas dicimus: cui difficiliori exercitationi singulis Saturni  
diebus duas horas dedicavimus. *Plures hujus fines* sunt, in unum  
tamen, logicæ applicatæ cultum, convenientes. Cogitare discunt  
cum arte, & cogitata digerere iuvenes: & tunc demum sentiunt,  
quid sit ars cogitandi. Legere aliorum scripta, excerpere & colli-  
gere optima, dijudicare eadem & ponderare non numerare ar-  
gumenta, collecta in ulum vertere & accommodare nostris, hic  
doce.

docetur atque discitut. Rerum ordo & methodus vivis exemplis cernitur: & qua ratione methodorum regulæ rebus, non res methodo eiusque legibus, adhibeantur. Meditari promte, eloqui promte, scite, caute: id quidem quæritus, & usu non raro consequimur. Ut iuuenes ferre discant adverba sibi sentientes, & pertinacius quoque defendantes: opinionibus non irascantur: disceptent, sed cum sensu veritatis & cum modestia; dissentiant ipsis & adversas sumant partes, sed sine superbia, iactatione, inflatione, aut nocendi studio: in hunc quoque finem comparatae sunt nostræ dissertationes. Odi enim profanum vulgus, & arceo: quod virtuti, honestati & pietati, inimicum barbaro more infidias struit: & hostili animo, superbo & lectorio spiritu, veritatem, quam prætendit, malitia animi & iniquitate evertit. Non enim in religione, republicaque civili aut litteraria, tyrannos & oppressores disputando efficere, sed veritatis modestos indagatores, aliorumque cum virtute & sapientia emendatores, cupimus. In eo enim vel maximum exercitationum logicarum pretium collocamus, ut in veritatis inquisitione de imbecillitatibus nostris, lapsu & aberrationibus, novis semper experimentis toties convicti, aliorum vel errores vel imbecillitates patienter & modeste feramus, modestissime coarguamus: cum non raro homines optimo animo in veritate investiganda aberrent à regia via, aut ad eundem contendentes finem, viis tantum & loquendi modis inter se dissentiant. Ad hos nostros fines consequendos *societatem disceptantium* inde à primis annis, quibus huic Gymnasio admoti fuimus, conservatam amplificare semper novis studiis tentavimus: ex qua divina gratia tot boni animi, ad veritatem, virtutem & sentiendi iudicandiique modestiam, formati in Academias & in vitam prodierunt, ut fructum eius perceperimus largissimum. Conscriptimus nimirum per plures annos singulis septimanis dissertationculam, quam unus locorum, suo marte elaboratam, defendit, duo impugnarunt. Jam vero præter has, ordine per annum continuandas & in privatam disceptionem deducendas, eo pervenit optimorum iuuenum animus; ut quasi in publicum pro-

prodire suis lucubrationibus & exercitationibus velint, Gymnasiique nostri Patronis & Tutoribus, Amicis & Fautoribus, id est omnibus eruditis & bonis Zittariæ nostræ viris, publicum aliquod modeste scribendi, iudicandi, disceptandique gratum lætumque exhibere spectaculum. Leges & regulæ potiores huius in Gymnasii florem sucepti instituti hæ sunt. I.) Materiae dissertationum eo ordine digeruntur, ut tempore succedente ex omnibus eruditionis, quam dicimus, partibus una assumatur. Ex metaphysica, cosmologia, pneumatologia, somatologia, anthropologia, mathesi: ex disciplina morum, ethica, prudentia vivendi, politica, iure naturæ & gentium: ex doctrina artium, Grammatica, critica, oratoria, pœsi, historia aliisque: ex medicina demum, iurisprudentia, theologia: eiusmodi res deceptuntur, quæ in disceptionem deductæ specimina dare possint, quomodo in similibus natura sua rebus ad logicam artem cogitandum scribendumque sit. II.) Variatur methodus in diversis dissertationibus: ut omnia methodorum genera demum ex his exemplis cognosci possint. III.) Singulis sex hebdomatibus una disputatio, una plagula typis impressa, publice habetur: sed respondenti vel autori liberum est suis sumtibus, non vero societatis, plures adiicere typis exscriptas. IV.) In hac publica exercitatione, diebus saturni b. ix seq. habendis, aut per hyemem hora 11. post meridiem diebus Iovis, liberum est cuicunque eruditio viro palæstritas nostros disceptando tentare: modo sibi modestiam imperare velit, & cogitare, non aliam hic rem, quam ingeniorum iuvenilium exercitationem, agi & quæri. Jam primus prodit in scenam, nobilissimus & eximus iuvenis, Godofredus Ernestus Müllerus: eo enim ordine prodibunt, quo adscripti in societatem fuere. Per plures annos linguas, historias, artes & philosophiæ partem, iuxta bonos mores coluit: iam vero, Academicæ vitæ proximus, studiorum simul aliquam reddere vult rationem, Disceptatores tecum habebit tres eximos iuvenes:

G. Hradzky,  
A. C. Cleemannum,  
J. E. Herzogium.

Tota

*Tota societas his floret nobilissimis & eximiis iuuenibus, qui  
dissertationes scribunt, & ordine defendunt:*

- 1) Godofredus Ernestus Müller. Ilmenavia Francus.
- 2) Friedericus Theodosius Müller. Ilmenavia Franc.
- 3) Iohannes Ernestus Hertzog. Zittaviensis.
- 4) Georgius Greupner. Plesnens. Silesiac.
- 5) Carolus Gottlob Heyderich. Markersdorff. Lusat.
- 6) Andreas Christianus Clemann. Gubenensis. Luf.
- 7) Iohannes Friedericus Schmid. Zittaviensis.
- 8) Georgius Hradszky. Hung. ex comitat. Nitriensi.
- 9) Samuel Pruny. Hung. ex comitat. Nitriensi.
- 10) Henricus Matthias Lutzmann. Sommerfeld Luf.
- 11) Liebmann Pilgrim Zeisold. Koenigsber. Borut.
- 12) Friedericus Augustus Gunther. Zittaviensis.

Supereft, Lector benevole, ut Tibi, ut Vobis, Gymnasti nostri Patronis, ut omnibus studiorum Fautoribus Zittaviæ nostræ, hos eretti animi iuvenes, hanc nostram societatem, & hanc publicam exercitationem, humanissime commendemus. Ut igitur interesse eorum omnium plurimi, si per negotia licet, his disceptationibus iuvenilibus velint, differentium animos praesentes excitare, benevolentia sua erigere, nosque omnes tutamine & amore suo complecti, maiorem in modum rogamus & precamur. P. P. Dom. Palm. An.  
cl bcc XXXIV.

